Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2563

Quelle:
Copyright:

fuit lumen tocius eccleſie de proprietarijs monachis et monialibus. Initium: *Pro ſalute eorum qui vicia fugere cupiunt, cum ad viam veritatis reformati fuerunt* &c. Jam indicatus *Cod.* XC. quo te, ſi lubet, refer.

III. *fol.* 61. *Subſcripta ſumpta ſunt ex tractatu magiſtri Johannis* (ſic rite, ſed Librarius perperam *Nicolai* ſuperimpoſuit) *Nydder, qui dicitur formicarius L. 1. c. 3.* Accedunt alia Excerpta *de ſumma Vlrici L. 6. tract. 3. c. 10. de incendijs et partu ſuppoſito aut per adulterium generato. §. Mulier vero.* De hac *Summa* inedita F. *Ulrici Engelberti de Argentina* O. P. fuſe agitur in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 356.

IV. *fol.* 66. *Subſcripta per modum conſilij data fuerunt cuidam perſone triſti in tribulacionibus.* Initium: *Non turbetur cor veſtrum. Joh. 14. Poteſt bene quidem in virum eciam perfectum et ſanctum cadere triſtitia* &c. Ad calcem: *Jo. tinctoris ſenſit.* Vir hic a duobus Ὁμωνυμοις *Brabantino* et *Gunzenhuſiano* diſtinguendus claruit et ſcripſit in Academia *Colonienſi* verſus medium Sec. XV. Vide *Harzheimii Bibl. Colon.*

V. *fol.* 67. *Queſtio determinata per magiſtrum B.* (ernardum) *de R.* (eyda) *in vniverſitate colonien.* Quaeritur: *Utrum in aliquo monaſterio feminarum liceat recipere aliquam feminam nouiciam ultra numerum perſonarum que de bonis monaſterij commode ſine penuria poſſunt ſuſtentari et a perſona recipienda oblatis gratis ſpiritualibus exigere temporalia?* Audita utraque Parte acceditur adfirmanti. Nihil de Autore in *Biblioth. Colon.*

VI. *fol.* 71. Ejusdem Decifio Quaeſtionis: *Utrum dicta in ſacramentali confeſſione ſub pena peccati debeant celari ſic quod nequaquam liceat ea quoquo modo reuelari.* Diſtinguit Autor inter ea, *quae cadunt ſub ſigillo confeſſionis directe uel ex conuenienti,* et inter ea *que ſubſunt ſigillo ſecreti.* Illa nunquam, haec in quibusdam caſibus revelari poſſe.

VII. *fol.* 78. p. 2. *Ex ſecunda ſecunde ſancti thome. q. c. art. 6. per totum.* De Simonia. Item: *in 3ª Parte.* De Abſolutione Sacramentali.

VIII. *fol.* 81. p. 2. *Predictam Collacionem publicauit magiſter Jo. Tinctoris ſacre theologie profeſſor eximius Colon.* Agit de cultu Diei Dominicae et incipit: *Circa declarationem 3ij precepti decalogi videlicet. Memento ut diem ſabbati ſanctifices* &c.

IX. *fol.* 85. *Sermo ſynodalis magiſtri bernhardi de Reyda.* Initium: *Reuerendi Patres et domini prelati paſtores et eccleſiarum Curati hic in chriſto ad preſens congregati prout pia mater eccleſia ſpiritus ſancti edocta conſilio hoc ſaluberrimum fecit inſtitutum* &c. Expenduntur et adplicantur Clero verba *Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum.* Ad calcem: *Indulgencias conſuetas vobis pronuncio In nomine patris et filij et ſpiritus ſancti. Amen. Coloniam* pertinet.

X.